

2005

## H O M I L E T I C I .

2006

fuisse; ille vero vult S. Mariae in Aquirio, hic S. Angeli. Neuter tamen verbulum facit de ejus Magisterio Scholae theologicae, quo eum ante Purpuram functum ex adlatis Praefaminibus liquet. An Bononiae? Dicerem fortasse, si ad manum esset Sartii et Fattorini Commentarius de claris Archigymnasi Bononiens. Professoribus a Sec. XI. ad XIV. Annum mortis Nostro statuunt 1213—16.

DCCCXIX.

R. 865 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 104. f. per duas columnas minutius et multis compendiis exaratus, coloribus distinctus et fronte literas M B sub cruce deauratas praferens Congeries est plurimorum Vocabulorum

nulla servata Alphabeti lege in usum Homiletarum ita aptata, ut de quovis promtam habeant cum divisionis, tum amplificationis materiem. Initium ducitur a voce *Paulus*; sic: *Queritur quando hoc nomen pauli apostolo fuerit primo impositum. cum ante vocaretur saulus. Resp. opinio Origenis super epistolam ad ro. quod apostolus semper fuit binominis &c.* Sequuntur Vocabula: *Seruus. Seruire. Pecatum. Mendacij. Fides. Pietas. Ele~~g~~us. Spes. Sperare. Verbum Dei. Predicatio. Predator. Saluator. Dilectio &c.* usque ad numerum 321. Ut autem difficultati in quaerenda materia occurratur, adest in calce Index alphabeticus. Ceterum Autoris, Temporis, Locci nullum vestigium.

